

aliis, qui in hac Urbe commorantur, quamvis hic rediens ad suam patriam notitiam illam secus delaturus esset; Cur ergo eidem in patria commoranti non poterit id ipsum per literas scribi, vel ibidem eidem narrari, si quis ad ipsum illuc pervenerit? Certe non magis fama læditur in uno casu, quam altero; sola enim varietas loci non variat famæ læsionem, nec videtur diversam obligationem inducere. Nec id displicet Patrio Sporer, tom. 2, tract. 5, cap. 4, num. 71. Attamen contraria opinio est communior et probabilior, ut patet ex ipso Sporer, l. cit., ubi dicit juxta communem DD. sic tenere Sotum, Molinam, Petr. Navarr., Tannerum, et Layman.

(33. Assero quarto. Qui occultum alicujus crimen se ab aliis audisse narrat, non peccat saltem mortaliter, si absque propria confirmatione, et proposito nocendi referat, vel tales circumstantiæ concurrant, ut credibile sit audientes non esse credituros, quia in tali casu abest periculum notabilis damni inferendi. Est communis cum Scoto, in 4, dist. 15, q. 4, art. 1. Navarr., cap. 18, num. 36 et 50. Layman, loc. cit., n. 7. Reiffenstuel, tract. 9, dist. 6, num. 14, vide Nov. Addit., post n. 28. Sporer, l. c., num. 92. (34. Si vero cum propria asseveratione, et confirmatione, iisque circumstantiis tale auditum crimen occultum narretur, ut narratio suo pondere fidem apud audientes mereatur vel sinistram suspicionem generet, peccatur contra justitiam cum onere restitutionis, quia in tali casu infertur notabile damnum proximo. Sic mox citati Doctores, Molina, disp. 30. Lessius, cit., cap. 11, dub. 5, et alii communiter. (35. Si autem in talis occulti criminis narratione tales circumstantiæ concurrant, ut narratio per se quidem fidem non mereatur, is vero, qui narrat animadvertat audientes, si non ex vi suæ narrationis, propria tamen levitate esse credituros, vel malam suspicionem concepturos, non peccat quidem contra justitiam, ut defendunt S. Antonin., p. 2, tit. 2, cap. 2, § 3. Cajetan., loco cit., art. 2. Lessius, loco cit., cap. 11, dub. 6. Layman, loco cit., n. 6. Tamburin., l. 9. Decalog., cap. 3, § 2, num. 5, quia sic causa alterius malæ fidei non potest adscribi tali narranti, cum audientes non ex pondere talis narrationis nihil moventis, sed ex proprii animi levitate fidem adhibeant; qui enim cito credit, juxta illud Ecclesiastici, cap. 10, *levis est corde*; peccat tamen contra charitatem gravius vel levius juxta qualitatem materiæ; quia publici mali occasionem præbet sive respectu audientium, qui temere credendo scandalum patiuntur, sive respectu infamati, qui famæ suæ jacturam apud eosdem incurrunt.

(36. Assero quinto. Peccat mortaliter cum obligatione restitutionis, qui infamatum jam emendatum de præterito, et jam oblitto crimine, denuo sine justa causa infamat. Est

(1) Licet, ait Antonius, de Justitia et Jure cap. 4, quæst. 9, resp. 2, injuriam sibi ab alio factam referre ad petendum consilium necessarium, non nominata persona, nisi ad consilium opus sit, modo

fere communis cum Sanchez, in Decalog., lib. 6, cap. 18, num. 40 et 60. Molina, disp. 33, num. 2. Lugo, loco cit., n. 85, et in Respons. moral., lib. 4, dub. 46. Mend., d. 1, a n. 200. Laym., loco cit., n. 8. Ovid., de Claritat. contract. 11, pag. 10, § 12. Telet., lib. 5, c. 65; contra Lessius, dub. 13, in fin. Et ratio est, quia sicuti malis moribus infamia facti contrahitur, et bona fama amittitur, ita contrariis bonis moribus infamia facti aboletur, et fama bona recuperatur; adeoque ea semel per emendationem recuperata apud homines prioris sceleris oblitus, injuriose spoliatur recensendo prius ejus crimen. Tum quia res illa, ut optime dicit Lugo, c., num. 84, per oblivionem reducta omnino est ad eum statum, quem habebat antequam esset publica; et fama iterum juste possidetur; ergo sicuti tunc publicari non poterat, sic nec postea poterit; nam rem antea notoriam fuisse, facit quidem, quod tunc fuerit publica, sed non facit, quod nunc etiam publica sit; adeoque nunc vere est actu occulta, nec potest publicari sine gravi injuria et obligatione restitutionis.

(37. Assero sexto. Probabilius mortaliter peccat, qui occultum alterius crimen sine justa causa manifestat uni vel alteri viro prudenti, non ulterius divulgatur. Sic Sotus, lib. 5, q. 6, art. 3, et lib. 5, quæst. 10, art. 2, conclus. 4. Molina, disput. 20, n. 7. Less., loco cit., dub. 11. Layman, loco cit., num. 6. Lugo, disput. 14, num. 51. La Croix, lib. 3, par. 2, num. 1197. Sporer, loco cit., num. 63. Illsung., t. 4, d. 2, num. 105, et alii apud ipsos. Ratio est, quia revera, et rationabiliter plerique hanc famæ suæ jacturam magni aestimant, et graviter sentiunt, si de gravi scelere infamantur, etiamsi apud unum solum virum prudentem, et gravem non ulterius divulgaturum. Immo non pauci inveniuntur Religiosi, Clerici, subditi, alique, qui mallent crimen suum occultum sciri a centum aliis, quam a Prælate, Domino, vel Benefactore, a quo multum dependent. (38. Si quis autem solatii, vel consilii tantum causa, et non intentione detrahendi, seu lædendi, alicui amico, vel consiliario taciturno narret injuriam ab alio sibi factam, seu grave crimen contra se commissum, non peccat mortaliter, etsi inde aliqua infamia proveniat auctori, ea enim est ipsi imputanda. Et ratio est, quia humana conditio non patitur, ut quis gravem offensam recipiat et non se doleat, vel quærat solamen, seu consilium; et sic a mortali excusantur famuli, qui injurias sibi ab heris suis; uxores, quæ a Maritis; filii, qui a Patre; Religiosi, qui a Prælatibus; milites, qui ab Officialibus illatas, doloris tantum mitigandi causa referunt; Trull., d. 11. Less., d. 12. Molin., num. 5. Diaua, p. 2, t. 5, resol. 32. Petr. Navarr., l. 2, cap. 4, n. 346. Laym., l. c., num. 6. Tanner, Busemb., et alii passim (1).

(39. Assero septimo. Defunctis detrahere, non pluribus referatur, quam necesse sit.... Non tamen licet ad solatium præcise seu ad dolorem leniendum narrare amico injuriam sibi factam nominata persona: quia iniquum est gravem infamiam

seu eorum gravia occulta crimina propalare est peccatum mortale ad restitutionem obligans; Molina, disp. 28. Lessius, l. cit., dub. 21. Bonac., d. 2, qu. 4, pag. 2, tom. 2, de Restit. in partic., n. 2. Layman, loco cit., num. 13. Petr. Navarr., loco cit., num. 351. Busemb., lib. 3, par. 2, dub. 2, n. 13, et alii communiter. Et ratio est, quia tantum jus habeant ad famam suam Defuncti, quantum Vivi, cum juxta communem existimationem censeantur adhuc in sua fama vivere; unde sicut illorum memoria capax est gloriosæ recordationis, ita et ignominiosæ detractionis; quæ confirmat Scriptura Ecel. 7. *Mortuo non prohibeas gratiam*. Et sic si quis illos tali bona fama, et gloria injuste spoliat propalando aliquod occultum eorum grave crimen ipsis detrahere censetur, et per hoc ad restitutionem obligatur. (40. Hinc etiam Historiographi contra justitiam peccant, si occulta mortuorum crimina pandant. (41. Quo tamen ad mortuorum crimina publica, jam oblivione sepulta, seu sepelienda, vel uno, seu altero tantum loco cognita, plus Historicis, quam aliis hominibus est concessum, ut ea scilicet ad perpetuam totius posteritatis cognitionem publicis scriptis diffundant, partim ad aliorum exemplum ac terrorem, partim ad rerum gestarum notitiam conservandam; Molina, loco cit. Sotus, cit., q. 10, art. 2, et de secreto membr. 1, q. 2, in fine; Layman, loco cit., num. 13. Valent., disp. 5, qu. 17, p. 2. Sa verb. *Infamare*, n. 4, et alii passim. (42. Peccant autem Historici describendo crimina mortuorum publica, et non referendo penitentiam, vel emendationem, si resipuerint; Busemb., l. c., n. 9, et alii communiter.

(43. Resolves, quarto, quod defectu injustitiæ revelandi, crimen occultum revelare non est peccatum. Ad hoc enim ut detractio seu revelatio criminis occulti alterius sit peccatum, requiritur potissimum injustitia revelandi, ut scilicet fiat absque ulla justa causa necessitatis, vel utilitatis gravis præponderantis damno infamæ alterius. (44. Causæ autem justæ revelandi aliquod crimen verum occultum alterius sunt præsertim quatuor sequentes. Prima est bonum ipsius revelantis. Secunda est bonum audientium. Tertia est bonum ipsius delinquentis. Quarta est bonum Communitatis, vel Reipublicæ. (45. Propter primam causam, scilicet propter bonum ipsius revelantis potest quis licite occultum crimen proximi vel injuriam sibi factam revelare viro prudenti, et gravi, ut consilium, vel auxilium, seu etiam in sua afflictione solatium, et sublevamen capiat, secluso alio maligno affectu detrahendi, seu lædendi. Est communis. (46. Dummodo tamen pro quanto est sibi possibile, cum minimo alterius damno fiat, ut si sufficiat unus ad consilium, seu solamen, non manifestetur pluribus; et si possit capi non nominata persona, non nominetur. Sic recte limitant Layman loco cit. n. 5. Lessius loco cit. cap. 11, dub. 12. Busemb. loco cit. num. 5. Sporer

proximo inferre sine justa et gravi causa quale non

fer *loc. cit.* n. 75. et alii. Vid. Nov. Addit. ad num. 39.

(47. Sic a fortiori ad evadendam mortem vel gravia tormenta, ob crimen occultum alterius sibi falso impositum, potest quis licite manifestare crimen occultum alterius verum, extra sigillum Confessionis Sacramentalis cognitum. Communis. (48. Nullimode autem licet crimen falsum imponere proximo innocenti; ut patet ex propositionibus damnatis ab Innocentio XI. relatis supra sub num. 10. (49. Ita etiam ut quis officium, vel Beneficium sibi, vel suis dignis assequatur, non est illicitum, saltem sub gravi, competitoris non dignioris vitium occultum quo ad tale officium, vel Beneficium inhabilior redditur, Collatori aperire; Navarr. in cap. *Inter verba* n. 854. Sa verb. *Infamare*, Tolet. lib. 5, cap. 63. Sporer loco cit. n. 76. et alii.

(50. Propter secundam causam, scilicet propter bonum audientium potest quis licite proximi occulta crimina, et incognitos defectus revelare ad audientium instructionem, informationem, et cautelam, ut sic a multis malis, damnis, et incommodis liberentur, cavendo ab occultis criminosis, vel in sua professione imperitis, quos undequaque justos, et solos peritos in sua respective professione ante talem revelationem, seu manifestationem judicabant. Sic enim potest occultus fur, seu infidus servus manifestari iis, cum quibus solet frequentare, et inhabitare, et a quibus petitur pro servitiis, hoc solo fine ut a suis caveant latrocinis, seu domesticis furtis: sic occultus homicida potest indicari Judici, ut innocens eo crimine accusatus liberetur; sic imperitus Advocatus, Medicus, Confessarius, Artifex, etc., et hujusmodi potest ad cautelam manifestari iis, quibus damnum notabile inferri potest ex eorum imperitia. Dummodo tamen semper in similibus absit quilibet malignus affectus et finis nocendi, sed solum intendatur præcautio bonorum, et innocentium, a consortio et infectione malorum, et respective nocentium occultorum, juxta illud Lucae 12. *Attendite a fermento Phariseorum*, et Matth. 5. *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, et Phariseorum, non intrabitis in regnum caelorum*; item Matth. 23. et alibi late manifestat eorum vitia ad audientium cautelam, et instructionem, ut ab ipsis caveant. Sic passim Doctores; Adrianus in 4. ubi de restitut. famæ; Sotus lib. 5 quæst. 10, art. 2. Navarr. cap. 18, num. 31. Molina disp. 34. Less. loco cit. dub. 9. Layman loco cit. n. 5. Sporer loco cit. n. 79. et alii.

(51. Propter tertiam causam, scilicet propter bonum ipsius delinquentis potest quis manifestare Superiori defectus occultos subditi, ut sic corrigatur, et emendetur; ita potest quis manifestare crimen occultum filiorum Parentibus, vel famulorum heris in ordine ad correctionem. Sic uxor Marito, vel Maritus uxori manifestare potest, et sac-

est solatium illud. (EDIT. BARBIELL.)

pe debet occulta crimina filiorum, vel famulorum, ut sic corrigantur, et emendentur. Immo interdum expedit in presentia ipsius criminosi coram aliis amicis fidelibus et charitativis, seu aliis conjunctis ejus crimina revelare, ut communi omnium adhortatione saltem rubore confusus ad emendationem compellatur. Et ratio est, quia multo magis salus, et bonum spirituale ipsius criminosi preferendum est ejus famæ, quando sine hujus aliquali læsione procurari commode non potest. Est communis cum Trull. t. 2. leg. 7. cap. 10 dec. 11. Sporer l. c. n. 80. Marchant tract. 9. tit. 4. q. 4. regul. 2. Busembau loc. cit. num. 5.

(52. Propter quartam causam, scilicet propter bonum commune Reipublicæ vel Communitatis, potest quis licite revelare occultum crimen, vel incognitum defectum alterius, quoties ita necesse est ad impediendum majus damnum Reipublicæ, vel Communitatis. Immo quandoque tenetur ex Charitate tale occultum crimen aperire, ut est si quis moliat prodicionem Reipublicæ, hæresim, homicidia, furta, et hujusmodi, quæ aliter impediri non possunt, quam per revelationem factam iis quibus interest. Sic si homo improbus, et non idoneus Juventuti sit preferendus in Magistrum, animabus in Parochum, corporibus in Medicum, cum multorum damno sive spirituali, sive temporali; quia quilibet ordine Charitatis tenetur magis avertere majus damnum Communitatis, seu personarum innocentium, quam personæ nocentis, dummodo quam possibile est, fiat cum minima jactura alienæ famæ, seu alterius gravis damni; ipsum criminolum prius admonendo, ut sibi caveat, fuga consulat, et hujusmodi. Sic communis cum Molina disp. 24. Less. leg. 2 cap. 11. dub. 9. Navarr. cap. 18. num. 21. Layman loco cit. num. 5.

(53. Detrahentes voluntarie, et sine causa audire, et, cum facile potest, non impedire, est peccatum mortale. Est communis; et colligitur ex Prov. 4. ubi expresse præcipitur: *Remove a te os pravum; et detrahentia labia sint procul a te.* Hoc malum enim, dicit S. Hieronymus epist. 19. ad Cælant., «ideo celebre est, idcirco in multis fervet, quia pene ab omnibus auditur, si deest auditor, deest et murmurator.» (54. Quia tamen potest quis esse auditor detractoris tripliciter, scilicet inducendo, approbando, et non impediendo, ideo dico primo, quod audiens detrahentem coram aliis inducendo, provocando, adjuvando, approbando, et non impediendo, seu alio modo positive cooperans ad detractionem faciendam, peccat mortaliter contra justitiam; et ad restitutionem obligatur respectu infamati; quia positive ad illius damnum cooperatur, et peccat mortaliter peccato scandali contra Charitatem respectu detrahentis, quem positive ad peccatum inducit, vel confirmat. Est communis: et per hoc S. Bernardus lib. 2. de Considerat. ad Eugenium cap. 13. scripsit: «Detrahere vel detrahentem audire, utrum horum detestabilius sit, non facile dixerim.» Immo S.

Joann. Chrysost. Homil. de David expresse dicit: «Collaudare delinquentes plus est, quam delinquere;» et in specie de audiente, et collaudante; seu applaudente, et provocante detractores sic præcise dicit meus S. Bernardus Senens. tom. 2. serm. 23. art. 3. cap. 1. «Talis plerumque amplius peccat, quam detractor, quoniam ex majori iniquitate, vel malignitate procedit.» (55. Dico secundo quod audiens detrahentem non inducendo, sed solum consentiendo, et complacendo in detractionem, peccat mortaliter tantum contra Charitatem, sed non contra justitiam, adeoque ad nullam restitutionem obligatur. Et ratio est, quia consentire, complacere, vel lætari de malo alterius absque ulla positiva externa cooperatione ad illud malum, charitati tantum, non autem justitiæ adversatur. Est communis; et quod sit peccatum mortale, colligitur ex Apostolo ad Rom. 1. ubi de ipsis aliisque peccatoribus dicit: *Quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, et non solum, qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus;* et Divus Bernardus de Triplici Custod. linguæ expresse dicit: «Detractor, et libens auditor, uterque diabolus portat in lingua.» (56. Si tamen quis delectaretur præcise de lepiditate, gratia, dexterrate, aut exaggeratione Detractoris, non esset inde culpandus peccati gravis licet posset mortaliter peccare, eo quod Detractorem non impediret, si posset, ut mox subjungitur. (57. Dico tertio, quod audiens detrahentem non ipsum inducendo, nec ei consentiendo, sed tamen illum non impediendo, quando facile, et commode potest, peccat etiam mortaliter contra Charitatem ex duplici respectu, scilicet, et respectu ipsius infamantis, non impediendo ejus peccatum, et ruinam spiritualem, cum possit fraterne corrigendo; et respectu infamati, non impediendo ejus damnum famæ; colligitur ex cap. Error 3. dist. 83. ibi: «Error, cui non resistitur, approbatur, et veritas, cum minime defensatur, opprimitur; negligere quippe cum possis perturbare perversos, nihil aliud est quam fovere. Neque caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare;» et expresse docet S. Bonaventura in Specul. anim. cap. 1. sic dicens: «Ad detractionem spectat bonum proximi tacere, quod quidem mortale est, cum videt aliquis injuste famam proximi deperire;» et sic etiam S. Thom. 2. 2. qu. 73. art. 4. «Dicens ergo, quod si aliquis detractiones audiat absque resistantia, videtur detractori consentire, unde fit particeps peccati ejus.» Et est communis sententia Doctorum, qui insuper volunt, quod si interdum non expedit auditorem impedire detractorem per directam correctionem, ut si persona non sit idonea ad corrigendum, si nullus fructus speretur, immo gravius malum timeatur, cum sæpe detractores ex correctione eo magis irritentur ad detractiones confirmandas, vel ipsas augendas, seu ad convitia, et contumelias evomendas contra correctorem; tunc, inquam, volunt communiter Doctores teneri adhuc auditores, quantum commode fieri

potest, corrigere, impedire saltem indirecte vel discedendo, vel alio sermonem divertendo vel tacendo, et vultum tristem ostendendo, nam, ut dicitur Proverb. 25. n. 23. *Ventus Aquilo dissipat pluviam, et facies tristes linguam detrahentem;* et ideo consulit Ecclesiasticus cap. 28. n. 28. ut in similibus casibus claudantur spinis aures audientis, *Sepe aures tuas spinis;* quia ut optime explicat Ugo Cardinalis in Proverb. cap. 23. *Ostensio tristis vultus spina est, qua pungitur lingua detractoris.*

(58. Se ipsum infamare sine rationabili causa, est peccatum; veniale tamen, ubi nullum aliud intervenit detrimentum. Est communis. Prima pars patet ex cap. 11. Ecclesiastici ubi præcipitur cura habenda de bono nomine, ibi: *Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi, et magni,* et Proverb. 22. commendatur bonum nomen super omnes divitias: *Melius est nomen bonum quam divitiæ multæ;* unde et Poeta canit:

Omnia si perdas, famam servare memento;

adeoque si fama ex Sacra Scriptura debet esse homini magis cara, quam omnes divitiæ, sicuti illas prodigere est peccatum, ita et illam. Secunda pars est clara, quia homo est dominus suæ famæ, quippe quam propriis virtutum actibus comparavit, et eam dissipando nemini injuriam facit; adeoque est tantum veniale vitium prodigalitati. (59. Quando quis tamen se infamat in iis circumstantiis, in quibus graviter nocet Communitati, familiae, proximo, etiam vitæ suæ, peccat mortaliter, sicut de facto peccat Religiosus, Paterfamilias, seu Rector alicujus Communitatis se ipsum ita infamans, ut inde redundet gravis infamia in familiam, aut communitatem. Est communissima. Et ratio est, quia licet sit quis dominus famæ suæ, non tamen potest illam dissipare cum detrimento boni publici, famæ alterius, aut vitæ propriæ, cum in istis nullum habeat dominium; adeoque, etc. Hinc cap. Non sunt audiendi 54. caus. 11. quæst. 3. ex verbis S. Augustini sic cavetur: «Quisquis a criminibus flagitiorum, atque facinorum vitam suam custodit, sibi benefacit; quisquis autem etiam famam, in alios misericors; nobis enim necessaria est vita nostra honeste acta, aliis fama nostra.» Et S. Gregorius cap. 9. in Ezechiel. sic præcise habet: «Hi quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere.»

ARTICULUS II.

Quoad obligationem restitutionis famæ, et quoad causas excusantes a tali restitutione.

(1. Qui falsum crimen alicui scienter imposuit, necesse est, ut restituat famam retractando dictum suum, asserendo v. gr. se deceptum fuisse, sed re melius considerata comperisse errorem, vel falsum dixisse, etiam adhibendo juramentum, et testes, si necessitas urgeat, eo quia auditores nolint

sine juramento, vel testibus credere; Cajetanus 2-2, quæst. 62, art. 2. Sotus de just. lib. 4, quæst. 6, art. 3. Navarrus cap. 18, num. 45. Petrus Navarra lib. 2, de Restitut. cap. 4, n. 137. Turrian 2-2, tom. 2, disp. 53, dub. 1, num. 9. Salonus de Just. tom. 1, quæst. 62, art. 2, contr. 13. Tannerus 2-2, disp. 4, quæst. 6, dub. 6, num. 41. Lessius lib. 2, cap. 11, dub. 20, et alii, et in specie quoad onus adhibendi testes docent Molina tom. 1, disput. 41. Joannes della Crux in directorio part. 1, proposit. 7, art. 1, dub. 5. Sotus, Aragonius, Lessius, Salonus locis citatis et alii. Et ratio est, quia qui sic injuste alterum læsit, tenetur ad æqualitatem constituendam, etiam cum aliquo suo incommodo adhibere omnem modum, et medium licitum requisitum ad ipsam ponendam, sed juramentum adhibere ad firmandum se falsum in detractione dixisse, et etiam testes ad roborandum, est medium omnino licitum cum ex una parte juramentum sit verum et urgeat necessitas, cum supponatur auditores nolle sine juramento, vel testibus credere tali retractationi, ergo, etc. (2. Si auditores nullam habentes probabilem rationem, nolint, et renuant detractori se retractanti, cum juramento, et testibus, fidem adhibere, tunc detractor ad nihil amplius obligatur, quia non amplius censetur causa talis prævæ opinionis, sed perversitas eorumdem auditorum. Sic communis Doctorum.

(3. Qui crimen alicujus verum, sed occultum injuste prodidit, licet non teneatur retractare suum dictum, asserendo se falsum dixisse, quia hoc faciendo mentiretur, tenetur tamen alio licito modo facere restitutionem, quatenus potest sine mendacio, dicendo verb. grat. se male, et fatue dixisse, injuriam intulisse, deceptum fuisse, et hujusmodi. Hæc enim vera sunt, nam talis male et fatue dixit et vere injuriam intulit, et cum omne peccatum sit quædam deceptio, vere deceptus est, quando proximum injuste de occulto crimine infamavit. Ita communis cum S. Thoma 2-2, qu. 62, art. 2, ad 2, et Scoto in 4, d. 15, quæst. 4, art. 2. (4. Vel si talis loquendi formula prævideatur interdum parum, vel nihil profutura pro restituenda aliena fama, tenebitur in tali casu infamato aliam æquivalentem famæ compensationem facere, eum ob alias ejus dotes laudando et honorifice de eo loquendo, quotiescumque se occasio præbuerit. Sic etiam sensim ex una parte tantumdem famam ejus illustrare poterit, quantum ex altera obscuravit. Sic Sotus lib. 4, de Just. quæst. 6, art. 3, ad 4. Cajetan. qu. 62, art. 2, et quæst. 72, art. 3. Navarr. cap. 18, n. 45. Lessius l. c. num. 110. Layman lib. 3, de Justit. tr. 3, part. 2, cap. 7, n. 2, et alii. (5. Si detractor revelavit alterius crimen aliquibus sub secreto, vel probabiliter credens ipsos rem aliis non esse manifestaturos, cum sint timoratae conscientia, et notæ probitatis, sufficit, quod restituat famam apud suos immediatos auditores tantum. Si vero revelavit non sub secreto neque sub tali probabilitate, tenetur